

gent illā vnione, sed tantūm intīmā coniūctio-
ne: vnde quidem dabitur in composito sub-
stantiali coniūctio partium, non tamen vnio;
coniūctio autem illa nihil nouæ entitatis su-
peraddit, vnio verò addit; nisi fortè velis con-
iūctionem vocare vnionem: at dum ponunt
vnionem tanquam aliquem modum absolutum
inter materiam, & formam non illam vnionem
vocant coniūctionem; propriè enim loquen-
do coniūctio nullum medians de se importat;
at vnio prout sumitur ab authoribus illius sen-
tentia; aliquid medians importat.

Quintò. Probatr ratione Aureoli: Non
est maior vnitas duorum partium ligni eiusdem
continui sub quantitate, quam sit vnitas com-
positi ex materia & forma; sed vnitas partium
ligni sub quantitate non est vnitas, quæ sit qua-
dam habitu positua, sed est vnitas omnimodè
indiuisionis, eò quòd pars sit omnino in actū
indiuisab alia parte, alioquin in dicta quanti-
tate non esset vnitas continuitatis. Quam ratio-
nem sic breuiter proponerem: inter partes quan-
tatis continuæ non intercedit aliquid vincu-
lum posituum, vt à nobis ostensum est in *Meta-
physica* agendo de compositione continui, ergo
à fortiori nec dabitur aliquid vinculum posituum
connectens materiā & formā, consequen-
tia est clara ex propositione maiore Aureoli.

*Sextò ex 8. Metaph. vext. 15. & 16. nō est querenda
causatur sit vnum ex materia & forma, nisi agens,*
ergo materia & forma non sunt quid vnum, nisi
ratione agentis, ergo non per aliquem modum
vnionis aduenientem, vult enim ibi Aristoteles,
quòd in his, quorum vnum natum est sustentari
per aliud, non sit aliqua causa concurrens, per
quam fiat vnum nisi vnies effectiue: sed ipsa
vniuntur inter se immediatè per hoc, quòd vnū
sit potentia, & alterum actus, ergo materia &
forma cum sic se habeant, vniuntur inter se im-
mediatè. Confirmatur in muro v. g. quia lapi-
des non possunt rectè se sustentare ad inuicem;
idèò requiritur cæmentum, quo vniuntur inter
se, at materia est non modò potens, sed etiam
est nata sustentare formam, ergo non requiritur
aliquid medium coniūctionis, & certè ibidem
Aristoteles tantūm requirit medium inter ea,
quæ non possunt se sustentare.

Septimò. Quando duæ partes aquæ vniun-
tur inter se, nil acquirunt de nouo, nisi quod
transcant in *tertiā* entitatem: idem patet in
duabus partibus plumbi, quæ vnitæ inter se non
maioris sunt ponderis, quam separatæ; ergo à
fortiori idem dic, cæteris partibus in præsentī.

Octauò. Ex illo communi dicto Philoso-
phico, *frustra ponuntur plura vbi pauciora suffici-
unt:* sed vnio partium intelligi potest absque tali
vnione, quæ sit superaddita entitas partibus,
ergo illa esset superflua.

Respondent communiter negando mino-
rem; volunt enim esse necessariam, tum ex parte
materiæ, tum ex parte formæ, tum ex parte
generantis; cum enim non possint vniri per su-
am essentiam debet dari talis modus, qui illas
partes substantialiter vniat; ex parte verò ge-
nerationis substantialis, cum sit noua actio,
debet habere nouum terminum formalem. Solu-
tio tamen hæc non valet; patet enim ex dictis,

quòd quia materia & forma se se respiciunt es-
sentialiter, idèò per suam essentiam poterunt
vniri; imò videtur de ratione compositi essen-
tialis, quale est compositum Physicum, vt eius
partes vniantur per suam essentiam, non verò est
necessaria illa vnio ex parte generantis, quia eius
actio terminatur ad compositum, seu formam
totius, mediante coniūctione vtriusque partis.

Nonò. Commentator 8. *Metaph.* dicit quòd
translatio non largiatur multitudinem, id est
quando forma & materia vniuntur in compo-
sitione ad inuicem, generans non largitur mul-
titudinem, largientem tertiam rem, vniuentem
illa duo.

Decimò. Partes esse vnitas nil est aliud,
quam *hoc esse in hoc*, seu formam esse in materia,
sed *hoc esse in hoc* nihil est aliud nisi ipsam rem
esse, ergo vnio formæ cum materia non importat
aliquem modum absolutum superadditum.
Probari quoque posset resolutio quibusdam ra-
tionibus, quibus vult Aluarez de incarnatione
disp. 13. vt ostendat nullum huiusmodi modum
intercedere inter humanitatem, & suppositum
Verbi, & per consequens nullum debere dari in-
ter materiam, & formam; sed quia posset negari
paritas, eò quòd suppositum diuinum non se
habet per modum causæ, sed per modum ter-
mini, forma verò & materia per modum causæ;
ad rationem autem terminandi non requiritur
aliqua noua entitas, quæ dicatur requiri ad ra-
tionem causandi, quia inquam videtur esse ali-
qua disparitas, idèò dictis Aluarez ratio-
bus referendis superledeò, adde quòd nonnullas
earum soluit collegium Compluteniè, *Disputa-
tione 6. de composito quest. 2 §. 4.*

Variæ solent proponi contra stabilitam do-
ctrinam communiter rationes, quas nunc ope-
ræ pretium erit per modum obiectionum pro-
ponere atque diluere.

Obijcies itaque *primò*, in sequenti parte con-
cludemus cum Scotistis totū esse *tertiā* quan-
dam entitatem distinctam à partibus, at quo-
modo erit entitas distincta à partibus, nisi adue-
niat aliquid partibus? non potest autem con-
cipi quid adueniat, nisi illa vnio.

Respondeo aduenire quidem vnionem, non
quæ sit modus quiddam absolutus, vt vult com-
munis opinio, sed relatio extrinsecus adueniens,
vt videbitur *sequenti resolutione*: & quamvis ne-
quidem adueniret relatio, at tamen non define-
ret totum esse *tertia* entitas distincta à partibus,
nam supra partes etiam vnitas adueniet trans-
actio illarum partium; nec enim dicemus totum
esse *tertia* entitatem distinctam à partibus
transactis, sed tantūm à partibus vnitis nondum
transactis modo explicando *sequenti partitione*.

Obijcitur *secundò*: Partes separatæ essent
totum compositum, quare si materia Petri, sit
Romæ, & forma Parisijs, tamen Petrus erit totus
in rerum natura, quia habebit totam suam en-
titatem, nempe materiam, & formam: sed vbi-
nam erit totus, an Parisijs, an Romæ? neutrum
dici potest.

Respondeo quòd vt sic non esset Petrus,
quia non esset intima penetratio vtriusque; vn-
de præter partes, vt fiat compositum Physicum,
requiritur intima penetratio non modò localis,
sed

Quintò.

Sextò.

Septimò.

Octauò.

Nonò.

Decimò.

Num. 6.
Ponuntur
& soluntur
inter contra-
dicta, ratio-
ne.

Obij. primò.

Resp.

Obij. secun-
dò.

Resp.